



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**HORATII TVRSELLINI || ROMANI || E SOCIETATE IESV ||
LAVRETANAE HISTORIAE || LIBRI QVINQVE. ||**

Torsellini, Orazio

Romae, 1597

III. Mo Ac Rever. Mo D. Petro Aldobrandino S.R.E. CARD. Horatius
Turfellinus felicitatem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64112](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64112)



ILL.^{MO} AC REVER.^{MO} D.

PETRO ALDOBRANDINO
S. R. E. CARD.

Horatius Tursellinus felicitatem.



VM plurimis maximisque in re-
bus diuina prouidentia elucet,
Card. Ampliff.; tum vero præcipue
in eo, quod parentem suam Deus
hominum patronam parentēq. cō-
stituit. Nam cum humanam imbe-
cillitatem innumerabilibus expositam casibus cer-
neret; talem ei custodem ac præsidem iam inde ab
initio destinauit; quæ salutem vndique cinctam peri-
culis expedire, vitam veris salutaribusque bonis cu-
mulare vna ex omnibus maxime & vellet, & posset.
Matrem quippe suam præpotens ille Deus diuinæ
maiestatis, potestatisque sociam, quatenus licuit,
adsciuit. Huic olim cælestium, mortaliumque prin-
cipatum detulit: ad huius arbitrium (quoad homi-
num tutela postulat) terras, maria, cælum, natu-

† 2 ramque

ramque moderatur : hac annuente, & per hanc diuinos thesauros mortalibus, & cælestia dona largitur. Ut omnes intelligant, quicquid ab æterno illo, Augustoque bonorum fonte in terras profluat, fluere per MARIAM. Ergo quæ regio ? quæ gens ? quæ natio est ? ubi non illustratum miraculis, consecratum ædibus, titulis insignitum B. MARIÆ patrocinium existat ? Verum inter omnes B. Virgini sacras ædes in omni genere vna eminent Lauretana : quæ & fama nominis sui orbem omnium terrarum impleuit; & per tot iam secula in dies magis omnium gentium ac nationum concursu, frequentiaque celebratur. vt cætera B. MARIÆ templa singulorum ferme ciuitatum ac regionum, hoc vero omnium gentium ac populorum commune perfugium esse videatur. Huius igitur siue Ædis, siue Domus historiam tibi, PETRE ALDOBRANDINE potissimum dedico, tum communi Societatis nostræ, quam singulari beneuolentia complexus es, nomine; tum meo, qui eandem ob causam, plus quam pro virili parte egregiæ humanitati tuæ debere me fateor. Nec vero quisquam mirari debet, hanc à nobis historiam Latinis litteris esse mandatam. Errant enim (nonnullorum pace dixerim) & rem patriæ linguæ studio magis, quam veritate ipsa metiuntur, si qui existimant, maiorem historiæ fructum ex nostratibus hisce litteris recentibus atque Etruscis percipi, quam ex veteribus illis ac Latinis. Etenim Etrusca lingua Italiæ fere terminis circumscribitur,

CLEMENS PAPA VI
bitur, quibus ipsis deinde interpres huius historiae
satisfaciet: at Latina per omnes propemodum gen-
res ac nationes longe latequè vagatur: vt Romanus
ille sermo etiam amplioribus, quam Romanum olim
imperium, finibus terminetur. Quod si Lauretanæ
Virginis tutela orbis terræ regionibus definitur; cer-
te optare debemus, vt eius gloria ac fama perue-
niat, quocumque Christiana religio cultusque pe-
netrauit. Quare Card. Ampliff. eadem benignitate,
qua nostros homines soles, hoc quaecumque nostri
Ordinis munus accipies: & clarissimum PETRI
ALDOBRANDINI nomen simul cum Lau-
retana historia disiunctissimas quoque terras, ac re-
giones peragrarè patieris. vt idem sit singularis tuæ
erga Lauretanam Virginem religionis monumen-
tum, & pignus nostræ erga tuum nomen gratæ ac
propensæ voluntatis. Vale.



CLEMENS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.



CM sicut accepimus dilectus filius Horatius Turfelinus Religiosus Societatis Iesu Historiam sacrae Domus Lauretanæ, magno studio & diligentia conscripserit, & in lucem proferre ad piorum fidelium spiritualem consolationem intendat, dubitetque ne si omnibus huiusmodi Historiam imprimere liceat, illa mendis & erroribus repleatur. Propterea nobis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportunè providere, de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur eundem Horatium specialibus favoribus, & gratijs prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsq. Ecclesiasticis sententijs, censuris, & poenis à iure, vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati eidem Horatio, ut ad decennium proximū, à primæna dictæ Historiæ impressione computandum, nemo tam in Vrbe quam alibi, in toto statu nostro Ecclesiastico nobis, & S. R. E. mediatè, vel immediatè subiecto, Historiam prædictam, tam Latino, quam vulgari Italico idiomate, ac tam in paruo, quam in magno folio imprimere, aut impressam vendere, seu venalè habere, sine speciali dicti Horatii, aut ab eo causam habentium licentia, possit, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus. Ac propterea vniuersis, & singulis ytriusq. sexus Christifidelibus præsertim librorū Impressoribus, & Bibliopols, ne dicto decennio durante, in Vrbe, aut alibi, in dicto Ecclesiastico statu, mediatè, vel immediatè subiecto, Historiam prædictam in quocunque idiomate, sine speciali dicti Horatii, aut ab eo causam habentium licentia imprimere, aut impressa vendere, seu venalè habere, vel proponere audeant, seu præsumant, sub quingentorum ducatorū auri de Camera, pro vna Camera Apostolicæ, ac pro alia dicto Horatio, seu ab eo causam habentibus, ac pro reliqua tertijs partibus accusatori, & Iudici exsequenti; nec non amissionis, & librorum & Typorum omnium prædicto Horatio, seu suis præfatis pariter applicandorū poenis, eo ipso incurrendis inhibemus; ac dilectis filijs nostris S. R. E. Camerario, ac Sedis Apostolicæ Legatis, Vicelegatis, Gubernatoribus, & alijs Iustitiæ ministris, cæterisque ad quos spectat, ut eidem Horatio, & causam ab eo habentibus supra scriptis in præmissis efficacis defensionis præsidio assistendū, poenas prædictas contra quoscunque contradictores irremissibiliter exequantur mandamus. Non obstantibus quibusvis Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, statutis quoque, & consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ac priuilegijs, indulgijs, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorū, quomodolibet concessis, confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus & singulis eorū tenores præsentibus pro expressis habentes, hac vice duntaxat specialiter, & expresse derogamus; cæterisque contrarijs quibuscunque. Volumus autem ut præsentium transcriptis, etiam in ipsa Historia impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem fides, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, adhiberi debeat. Dat. Romæ apud Sanctū Petrum sub annulo Piscatoris, die V. Ianuarij. M. D. XCVIII. Pontificatus Nostri Anno Sexto.

M. Vestrius Barbianus.